

33

DE SANCTORVM CANONIZATIONE THESES CATHOLICÆ.  
PRÆSIDE REVERENDO PATRE D.  
THEODORO PELTHANO, DOCTORE THEOLOGO, ET COLLEGII

*Theologici pro tempore Decano, has de Sanctorum Canonizatione Propositiones, prouirili tueri, ac defendere conabitur Dominus Sebastianus Faber Soretanus, artium Magister, ac Theologiæ Baccalaureus.*

ANONIZATIONEM uocamus publicam sanctitatis alicuius approbationem, Ecclesiæ Catholicæ autoritate ritè factam, non priuati cuiuspiam temeritate tentatam.

2. Ea non humanum est commētum, aut iam demum in Dei Ecclesiam inuecta.
3. Quinimo ita inde ab initio, non humano, quod falli potest iudicio, sed diuina ordinatione, in Ecclesia Catholica est usurpata, quo nimirum amici Dei, quos humilitas texerat uiuentis, post mortem, super candelabrum positi, omnibus qui in domo Dei sunt, lucerent, suoq; exemplo uitam Euan-gelicam corroborarent.
4. Est autem definita Sanctorum cognitio impendio nobis utilis ac necessaria, non ea tantum de causa, ut omnis penitus à grege Christiano facer-fat superstitio, verum etiam ut certos ac indubiatos apud patrem misericordiarum, patronos habeamus ac intercessores.
5. Nam etsi eos, quorum sanctitudinem sacra scriptura, aut etiã communis Ecclesiæ consensus, aut Romanus Pontifex nec dū confirmauit, priuato cultu prosequi, ac uenerari inhibutum non sit, publico tamen id minime licere putamus.
6. Multo uero minus domi forisq; eos iudicamus honorandos, quos filii Belial, & malignatum Synagoga, contra Ecclesiæ Romanæ autoritatem & sententiam, non impiorum turbæ (ut debuerant) sed Diuorum albo, nuper ascripserunt.

APPENDIX.

- Vnde neq; Iohannes Hussius Christi martyr, neq; Martinus Lutherus Dei confessor aut Propheta est censendus.
7. Cum itaq; Sanctorum Canonizatio, tanti res sit momenti, diuinæ scripturæ & rectæ rationi oppidò existimamus consentaneum, ut huiusmodi quæpiam in Ecclesia existat potestas, qua Sanctorum declaratio ac promulgatio ritè inculpatèq; valeat perfici.
  8. Hanc aut Ecclesiasticam facultatē, haud alibi, q̄ in Petri Cathedra, aut certe in Oecumenica Synodo, capite suo non destituta, residere p̄fitemur.
  9. Ut enim Dei est hominem sanctificare, ita cum necessitas aut Ecclesiæ utilitas id postulat, Romani Pontificis est sanctificatum diuino testimo-nio comprobare.
  10. Interim tamen non diffitemur, quin ad canonicum Canonizationis processum, humana quoq; requirantur testimonia, non quod suum illa robur inde sortiatur, sed quoniam per homines fieri est consueta, noluit Deus humanā hic quoq; deesse diligentiam & industriam.
  11. Ea porrò ueluti congrua quadam dispositione adhibita, summus Ecclesiæ Hierarches, non iam proprio, sed Dei ipsius spiritu, qui eum tanta in re nullatenus errare aut decipi patitur, ductus, certam minimeq; dubiam pronunciat sententiam.
  12. Quandoquidem creditu dignum non est, spiritum sanctū Ecclesiæ Romanæ Rectorē, tantum errorem ullo unq; tempore permisisse, aut olim permissurū, ut Dæmonis mancipiū inter Sanctos habeatur, & omnibus Christi fidelibus, ab Ecclesia Catholica uenerandū & inuocandū pponatur.
  13. Cuius quidem rei haud obscurum arbitramur argumentum, quod nullius sancti inauguratio, à nemine hactenus fuerit infirmata, quin potius legi-tima diuorum Canonizatio, ab ipsamet ueritate præclaris subinde uirtutibus & miraculis illustratur & confirmatur.
  14. Nec obstat illud, quod vulgo fertur, B. Augustinum alicubi tradidisse multa passim in terris corpora uenerari, quorum animæ cruciantur in In-ferno, siquidem nullam Canonizatorum ibi facit mentionem, sed de his tantum loquitur, quos uel Gentiles uel superstitiosi quidā Christiani, pro ar-bitratu suo diuinis afficiebant honoribus.
  15. Longe uero minus ueritati aduersatur, ritum Canonizandi, quo Ecclesia seculis aliquot nunc utitur; apud ueteres minus fuisse uisatum, quoni-am quidem tam aperta ac euidentiā primis illis Apostolorum temporibus, & multo etiã postea, sanctitatis existabant testimonia, ut nulla alia opus esset sanctimoniam cuiuspiam probatione.
  16. Nec impedit deniq; quod Papa de sua ipsius sanctitudine, nullā aut fidei aut euidentiæ habere queat certitudinē, Non enim hic ut priuata quep-piam persona, (quæ fallere & uicissim falli potest) procedit, sed, (quemadmodum paulo ante dicebamus) ut Christi Vicarius, totiusq; Dominici gre-gis caput, talisq; (ut paucis absoluā) qui in his, quæ uniuersalis Ecclesiæ mores fidemq; & diuinum cultum concernunt, extra omne errandi discrimen sit positus.
  17. Vnde quicumq; nostro hoc infœlici æuo, cuiuscunq; sancti iam initiati sanctitatē obscurare conatur, non ipsi tantum sancto magnā irrogat in-iuriam, uerum etiam toti Ecclesiæ, imò & ipsi Deo, cuius spiritu, Ecclesia regitur, & ab omni errore immunis hucusq; conseruatur.
  18. Cæterum etsi non desint, qui asseuerent Ecclesiæ sententiam, minus hac in re certam esse, quam in fidei Dogmatum decretis, nullus tamen Ca-tholici nomine dignus unquam est census, aut aliquando censendus, qui sanctorum publica Ecclesiæ censura, diuorum Cathologo iam pridè ascripto rum, sanctimoniam, pro cuiusq; arbitrio repudiari ac in dubium uocari posse contendat.
  19. Id enim nefarium, & summæ coniunctum temeritati sacrilegium esse, nemo est, qui non intelligat.
  20. Si namq; graue æstimatur peccatum, absq; legitima & sufficienti causa, quempiam iudicare, aut famam eius contaminare, longe profecto grauius fuerit, si proborum hominum testimonijs eidem suffragantibus, id ipsum committatur: at uero omnium grauius, si adhæc omnia incon-cussa Ecclesiæ accesserit autoritas.
  21. Ex his quæ hucusq; constituimus, liquidum euadit, præclarum esse Religionis opus, ipsiq; Sanctorum Autori gratissimum, Sanctos ab Ecclesia Canonizatos honorare, cum honos, qui illis impenditur, non tam in ipsos, quam in ipsorum redundet opificem.
  22. Quin & sacra eorum corpora preciosis thecis includere, locaq; ubi hæc asseruantur, Religionis causa inuisere, summa dignum arbitramur com-mendatione.
  23. Sed neq; indignum aut diuinis dissentaneum legibus esse putamus, Basilicas Aedesq; sacras & Aras ad Dei Opt. Max. honorem exedificatas, à diuorum aliquo denominari.
  24. Siquidem sancta hæc locorum in Dei reuerentiam exstructorum, à sanctis denominandi consuetudo, nequaquam recens est, aut à superstitiosa imperiti vulgi deuotione (ut insani Vicleuistæ iactitant) profecta, sed à sanctorum Patrum autoritate suā traxisse originē minime dubium est.
  25. Nec ideo tamen Sanctos Deo exequamur, aut nouum aliquod & inauditum Idolomanie facinus designamus, cum huius cultus & adoratio, ab illorum ueneratione, ingenti distent interuallo.
  26. Deniq; ipsorum quoq; reliquijs externum quendam cultum deferendum esse, nequaquam ambigimus, Id ea tamen fieri necessum est ratione, ut neutiq; ibi sistatur, sed ad eos quorum sacras exuuias amplectimur, prudens animus sese erigat atq; extollat.
  27. Quod uero huiusmodi sanctarum reliquiarum ueneratio, Deo summopere sit grata, hoc illustria & quotidiana quibusdam in locis miracula, Hæreticis & male erga fidem Catholicam affectis, supra modum inimica, abunde contestantur.
  28. Et quamuis hominum malitia aut Dæmonum potius impostura, quædam nonnunquam præstigia, prodigiorum loco, ab imprudentibus qui-busdam sint habita, id tamen ueris miraculis nullatenus præiudicare censendum est, quippe cum huiusmodi fallaciæ & rarius contingant, & à sanctis cordatisq; uiris haud magna deprehenduntur difficultate.

PARERGVM.

Extra Romani Pontificis obedientiam, non est salus.

LAUS DEO.

Disputabuntur 12. Calen. Decembris in Auditorio Theologorum, hora octaua.

Ingolstadtij excudebant Alexander & Samuel Vuciffenhornij. Anno M. D. LXII.

DE SANCTORVM CANONIZATIONE THESS. CATHOLICAE.

PRÆSIDÈ REVERENDÒ PATRIS D.

THEODORO PETHIANO, DOCTORE THEOLOGICO ET COLLEGI

A. 1562.



Faint, illegible text in the upper section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the lower section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

PARIS

1562

Imprimatur in Christo Domini...

Typis in officina...